

Atque hoc post Lotharium probavit Fride-
ricu: *feud. 2. titul. 55.* non solum alienatio-
nes in futurum prohibens, uti Lotharius
sed etiam iam ante factas nullius temporis
præscriptione obstantes, rescindens *d. tit. 55.*
callidis, hodie igitur si quis post constitu-
tionem Lotharii, feudum sine consensu
domini alienaverit, vel totum amittet, qua-
tenus totum: vel partem, quatenus par-
tem alienavit, *feud. 2. tit. 38.* nisi in agnatum *Quibus*
proximum transtulerit, *feud. 2. tit. 2. §. 1. casibus*
huiusmodi enim alienatio, potius refuta *feudum*
tio est, quam alienatio. Vel nisi ea lege ac- *possit a-*
ceperit, ut cui dederit, feudum haberet, *lienari.*
feud. 2. titul. 48. Vel denique nisi omnia bo-
na sua, nulla feudi habita mentione alie-
naverit, *feud. 2. tit. 55.* Sed quid si recupera-
verit alienatum? non poterit in pristinum
feudi statum recidere, *feud. 2. titul. 44.* quo-
niam, jus per alienationem domino semel
acquisitum, nova acquisitione eidem adimi
non potest.

l. Ratio, quoniam proprietas ad eum *Atq; de*
non pertinet: nec enim nudum domini *terioram-*
nomen retinet is, qui feudum concedit, sed *do.*
etiam dominium, id est, proprietatem. Est
igitur dominus cum re, non sine re, non
potest autem invito domino, domini cau-
sa deterior fieri. Usufructuarius proprie-
tatis causam deteriorem facere non de-
bet, meliorem facere potest, *l. 13. §. 4. ff. de*
usufr.